



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

41. An laicus ex præscriptione sit immunis à solutione decimarum,
dummodo adsit tempus quadraginta annorum cum titulo, & sine titulo
tempus hominum memoriam excedens? Et an vero pro consuetudine non

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. XL.

An laicus ratione consuetudinis, vel prescriptionis possit esse immunitas a solutione decimarum? Et an in tali casu sufficiat ad prescribendum spatium quadraginta annorum, etiam sine titulo, vel an etiam debeat esse consuetudo, & prescriptio immemorialis, nempe centenaria? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 78. alias 77.

Sup. loc. in Resol. 77.

De hoc casu interrogatus fui nouissimè in causa decimarum vertente inter excellentissimum Melchiorum Heracensem, & Episcopum Cephaludensem, & respondi affirmatiuè, quia immunitas a soltendis decimis etiam prædialibus tam à laicis, quàm à Clericis cum bona fide vluacapi potest cum titulo annis quadraginta, sine titulo, vel tempore immemoriali, idque non tantum ex parte, videlicet, vt duodecima, aut vigesima soluat, sed etiam in totummodo interim Ecclesie ministris sufficiens sustentatio ex aliis titulis, v. g. ampla Ecclesie fundatione, fidelium oblationibus, & pijs legatis, &c. suppetat. Et ita docent Decem Doctores, quos citas & sequitur Layman in Theol. mor. lib. 4. tr. 6. c. 7. num. 9. quibus ego addo Syluium in 2. 2. D. Thoma, q. 87. a. 1. com. 5. Fagundez præcept. 4. lib. 3. c. 1. n. 24. Reginaldum tom. 2. lib. 15. c. ult. sect. 3. q. 4. n. 97. Monetam tract. de decimis, c. 5. q. 6. concl. 4. n. 122. & alios penes ipsos, quidquid in contrarium asserant aliqui Iurisconsulti, vt Rebuffus tr. de decimis, disp. 13. n. 55. Barbatius vol. 2. conf. 35. Ruynus vol. 5. conf. 141. Socinus lib. 2. conf. 297. Patilius vol. 4. conf. 25. n. 17. & alij penes Fagundez vbi supra, putantes neminem posse eximi præscriptione, seu consuetudine à solutione omnium decimarum prædialium, ita vt nullas omnino teneatur solvere decimas de aliquibus, vel de omnibus suis prædiis, posse tamen decimas consuetudine ad vigesimam trigessimam partem reduci, ita vt loco decime soluat vigesimam, aut trigessimam partem fructuum; sed tu tene primam sententiam.

2. Imò notandum est, quod in tali casu, sufficere ad prescribendum spatium quadraginta annorum, etiam sine titulo, docuit ex Societate Iesuy Tannerus in 2. 2. D. Thoma, disp. 9. q. 3. dub. 2. num. 31. & Henriquez lib. 7. c. 27. num. 2. sed contrarium docent Doctores citati. At quidquid sit de hoc, nimis serupulose dicendum est loquutum fuisse Mofesum in sum. ro. 1. tr. 6. c. 4. n. 46. vbi inliat, vt requiratur in nostro casu, prescriptio immemorialis, nempe centenaria. Sed dicendum est cum supra prædictis Doctoribus, sufficere præscriptionem quadraginta annorum, licet cum titulo iusto, seu probabili, qui eaulam possessori tribuat præscribendi.

RESOL. XLII.

An laicus ex prescriptione sit immunitas a solutione decimarum, dummodo adsit tempus quadraginta annorum cum titulo, & sine titulo tempus hominum memoriam excedens?

Et an verò pro consuetudine non soluendi decimas sufficiat tantum spatium decem annorum?

Et an sint equa & iusta, ac valeant statuta, & constitutiones Ciuitatum & leges Regum, & Principum, quibus vetant decimas à laicis exigi, quæ per consuetudinem solui minime solent? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 42.

Sup. loc. in Resol. 77.

Respondeo affirmatiuè, dummodo adsit tempus quadraginta annorum, cum titulo, & sine titulo tempus hominum memoriam excedens, quod dicitur consuetudo immemorialis. Ita habetur in c. auditis, de prescrip. & c. 3. de consuet. in 6. & docet expressè Layman in Theol. moral. lib. 4. tr. 6. n. 9. Molina tom. 1.

tract. 2. disp. 75. n. 5. Lessius lib. 2. cap. 39. dub. 5. num. 26. Castus Palaus tom. 2. tract. 10. disp. vnic. punct. 5. n. 2. Filiucius tom. 2. tract. 2. part. 2. c. 7. n. 154. Reginaldus tom. 2. lib. 20. c. ult. sect. 3. q. 4. n. 96. Suárez de reig. 10. 1. lib. 2. c. 13. n. 1. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 5. punct. 2. & ante illos ex Iurisconsultis Couarruias lib. 1. var. c. 17. n. 8. & 10. Hi omnes asserunt ad consuetudinem contra decimas requiri tempus quadraginta annorum sine titulo, secus autem in præscriptione; & ratio diuersitatis est, quia consuetudo respicit communitatem, quæ eximitur à lege vi solius consuetudinis; nam frequens, & diuturnus illius vsus habet vim introducendi legem, ideoque legitimo, quale est tempus quadraginta annorum, potest illam derogare. At præscriptio respicit priuatam personam, quæ non eximitur vi consuetudinis, cum vnus persona longus vsus non possit legem introducere, & consequenter neque abrogare. Vnde ex his non videtur admittenda opinio Tanneri, & Henriquez, quos adduxi in 1. part. tr. 5. resol. 77. asserentes ad prescribendum contra decimas sufficere tempus quadraginta annorum sine titulo. An verò pro consuetudine non soluendi decimas sufficiat tantum spatium decem annorum, probabile putat Castus Palaus loco cit. punct. 4. n. 6. in fine Sed ibi ipse, & merito, contrariam sententiam docet, quam absolute tuetur Reginaldus vbi supra, quia talis consuetudo est in Ecclesie graue damnum, ideoque temperanda, tum, quia nequit habere autoritatem legis Ecclesiasticæ, quæ debeat existimari obtinere vim abrogandi, nisi sit approbata à Papa per consensum saltem tacitum, qui non potest prudenter præsumi in vsu temporis minoris eo, quod per sacros Canones constitutum esse constat. Ita Reginaldus. Neque aliquis particularis potest se tuari contraria opinione; nam si esset vera, procederet quoad consuetudinem introducendam à communitate, vt dictum est, non autem quoad præscriptionem, quæ respicit personam particularem, in qua, vt satis probatum est, omnes conueniunt, necessarium esse spatium quadraginta annorum cum titulo, vel immemorialem. Vnde ex his magis remanet explicata ea, quæ diximus in res. cit. 77. 3. p. 17. 11.

Quæ hic est Ref. antecedens.

2. Sed hic obiter inquirendum est, an sint equa, & iusta, ac valeant statuta, & constitutiones Ciuitatum, vel leges Regum, & Principum, quibus vetant decimas à laicis exigi, quæ per consuetudinem solui minime solent? Et affirmatiuam sententiam docet Didacus Couarruias in practico, quest. 6. 3. n. 2. vers. 4. & lib. 1. var. cap. 17. num. 8. Cui ego addo ex Theologis Turrianum in summa, part. 1. c. 13. dub. 2. conclus. 1. vbi sic ait. Iusta sunt leges Caroli V. & Philippi II. Regis Hispaniarum, quibus decernunt, vt laici non soluant decimas, quæ per consuetudinem consueuerunt non solui. Ita ille.

3. Verùm alij dicunt tales leges nullam habere vim, nisi fiant privilegio Romani Pontificis, aut auctoritate firmentur, quia de decimarum iure, cum sit spirituale, nihil laici statuere possunt. Et si obiciat quis Reges solùm præcipere, vt consuetudo recepta seruetur, omniaque iura decernunt approbatas consuetudines vim legis habere. Respondent argumento probari, ne talis consuetudo violetur, ad laicos pertinere, sed præcipere ne contra eam Clerici faciant, laicorum non est, sed Ecclesiasticorum iudicium, videlicet Episcoporum, & summi Pontificis. Et hæc omnia docet Raphaël de la Torre in 2. 2. D. Thoma, q. 87. art. 1. disp. 9. n. 17. in fine, & ante illum Ioannes Azorius in sum. ro. 1. lib. 7. c. 26. q. 3.

RESOL. XLIII.

An consuetudo eligendi per sortes. Sanctos tutelares sit licita? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 9.

§. 1.